TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

CHLOROSI;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GEORGII CAMPBELL, S. S. T. P.

ACADEMIÆ MARISHALLANÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS FREDERICUS HAHNBAUM,

CAROLINENSIS AUSTRALIS,

Societ. Americ. Phys. Edin.

Soc. Extraord.

EDINBURGI:

APUD PETRUM HILL.

M DCC XCI.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHLOROSI.

ETSI menſes ad ſexus pulchrioris ſanitatem a natura deſtinentur; aliquando tamen adeo abnormes ſunt, ut graviſſimos, quibus opportunus eſt, morbos excitent: ſecundum naturae vero normam ordinatus ad optimam ſanitatem quam maxime confert.

Summos itaque in medicina honores ambiens, et aliquod laborum meorum documentum in lucem edere cupiens, hoc argumentum, ſuadentibus humanitate, et in ſexum amabilem benevolentia, prae caeteris mihi arriſit.

Quod, ſi hanc rem, qua decet, accuratione exequi non poſſum, futurum tamen ſpero, ut

utilitate ſua commendetur; idcirco, praemiſſa clar. Culleni definitione, morbi hiſtoriam pleniorem trademus.

" Amenorrhoea (*emanſionis*) in puberibus
" quibus poſt fluxus tempus ſolitum, menſes
" non jam prodierint, et cum ſimul variae af-
" fectiones morbidae adſcit *: quales ſunt,
" Dypſepſia, vel rei non eſculentae deſi-
" derium, cutis pallor, vel decoloratio; ve-
" nae minus plenae, corporis tumor mollis:
" Aſthenia, palpitatio, menſtruorum retenſio."

HISTORIA MORBI.

Hic morbus, quibus feminarum ſexus ſaepe opportunus eſt, plerumque circa vel paullo poſt pubertatem adoritur: Cum autem tempus, quo menſes, diverſis feminis fluere incipiunt, ſit diverſum; aetas, qua morbus ſe prodit, pro certo definiri nequit: hinc chlo-

roſis

* Vide Cullen Synop. Noſ. Method. Tom. II. p. 359. et 207.

rosis aetatem diversam pro corporis habitus, regionis, aliarumque rerum diversitate corripit.

Aegro omnibus pravae concoctionis signis, qualia sunt anorexia, nausea, vomitus, cardialgia, &c. tentatur: Cibi appetentia minuitur, aut multum depravatur; ita ut terra calcarea, creta, carbones exusti, et similia, vehementer praeter naturam appetantur. Eximius oris color evanescit; et plerumque in pallidum, viridem, aut flavum, mutatur; facies saepe tumidiuscula, quod mane, postquam aegra surrexerit, magis insigne observatur: labra colorem suum amabilem pyropi ruborem emulantem amittunt; circulusque lividus oculis qui olim radiabant, jam hebescentibus, circumdatur. Venae minus plaenae sunt; et arteriarum pulsus plerumque citi, exigui, ac humiles, aegram formosam febrili aestu ardere indicant.

Tensionis ac ponderis sensus in artubus sentitur; pedes saepe frigescunt; et una cum

talis,

talis, partibuſque vicinis, potiſſimum ſub noctem, tument: Corpus molliter tumet. Capitis interdum, et dorſi, et coxendicis, dolores vexant.

Spirandi difficultas, palpitatio, et haud raro ſyncope, motu corporis vivido excitantur. Corporis habitus laxior, et magis irritabilis fit; aegra rebus leviſſimis turbatur, quandoque moeſta ac cogitabunda ſortem ſuam miſeram plorare videtur. Totum corpus torpore et aſthenia afficitur; ab omni motu aliena eſt. Ingratus oris ſapor adeſt. Lingua ſordida ſaepe cruſta albida obducitur. Alvus plerumque aſtringitur: Urina primum ſine odore limpida eſt, morbo vero provecto turbida fit: Menſeſque per totum morbi decurſum retinentur. His ſignis ingraveſcentibus, hydrops, atrophia, et mors tandem ſuperveniunt.

DIAGNOSIS.

Vix opus eſt, ut de hac argumenti parte tractemus: Signa enim adeo clara ſunt, ut neminem

neminem quamlibet rudem et indoctum fugere poſſint: Menſes enim retenti, aetas aegrotae, rei non eſculentae deſiderium, aſthenia, palpitatio, dypſepſia, ceteraque, quae in hiſtoria recenſuimus, morbum a quovis alio facile ſecernunt. Forſitan cum ictero aliquando confundi queat; flavedine autem oculorum, quae chloroſi non adeſt, hi morbi ſatis facile, ut mihi videtur, internoſcuntur.

CAUSAE REMOTAE.

Hae ſunt duplices, praediſponentes, et occaſionales. Illae videntur eſſe debilitas totius corporis, et ſtatus quidam ovariorum, quae nondum evoluta videntur: In quonam vero hic ſtatus conſiſtat, dicere non audeo.

Haec debilitas eſt vel haereditaria, vel acquiſita: Quando acquiritur, a cauſis occaſionalibus, quales ſequuntur, plerumque oritur.

Cum morbus a menſibus tempore quae fluere ſolent, vel non omnino vel juſto parcius

fluentibus

fluentibus pendent, cauſa in menſium retentorum vitio quaerenda eſt.

Menſium in hoc morbi genere retentio, aut defectas, ad organa genitalia tempore ſuo non explicata, referenda ſunt: Hoc autem fibrarum moventium, aut genitalium vitio, aut utrique tribuendum eſt. Fibrarum moventium debilitas effectus ſuos, minuendo ſanguinis curſum uterum verſus, edit: Hinc tenſio et tonus vaſorum uteri neceſſarius deficit. Genitalium vitium ſimili cauſae, cujus ratio haud facile redditur, referendum videtur: Fibrae uteri motrices vel nimis laxae, vel nimis vigentes, vel male conformatae eſſe poſſunt; et etiamſi hae fabrica non peccent, debilitas tamen vitae decurſu variis cauſis inducta morbum excitare poterit: Hae autem cauſae inter occaſionales quaerendae ſunt.

Cauſae autem occaſionales ſunt omnia quae corpus debilitant: Qualia ſunt aër humidus, inertia, exercitatio violenta, venus nulla,

pathemata

pathemata mentis, uti triſtitia, amor infelix, et omnia quae veneris deſiderium fruſtra accendunt, diaeta lautior, aut tenuior juſto, ſomnus immodicus, vigilia nimia, excretiones ſolitae ſuppreſſae, et exinanitiones inſolitae, aliaque innumera quae vires aegre convellunt.

RATIO SIGNORUM.

Anorexiae, caeterorumque dypſepſiae ſignorum ratio, praemiſſa cibi appetentiae naturalis explicatione, facilius reddetur.

Phyſicorum de hac re rationes, quippe quae rebus factis plane repugnent, fere omnes negligendae videntur: Pleraeque enim concoctionis theoriae hactenus allatae fundamentis lubricis ac ſabuloſis plane innituntur, ut cuilibet experimenta clariſſimorum virorum, Reaumur, Monronis, Stevens, Spallanzani, Hunteri, &c. perpendenti clare conſtabit. Horum enim pericula alimentorum concoctionem

concoctionem a ſucci gaſtrici ſalivae conjuncti, viribus ſolventibus pendere demonſtrant: Idcirco hypotheſes venerandi Hippocratis, qui calorem, iatro-mathematicorum, qui triturам, M'Bride et Pringelii, qui fermentationem pro hujus functionis mirificae cauſam habuere, reſpuendae videntur; et ſolutionis theoriam, cujus auctor primarius eſt clariſſimus Reaumer, libere amplectimur: Hanc enim ſententiam omnia experimenta cel. virorum ſupra memoratorum plene demonſtrant.

Limites, quibus hujuſmodi diſputationes circumſcribuntur, impediunt, quo minus hypotheſes ſupra memorata hic loci excutiamus: Satis ſit obſervare concoctionem plurimum e quantitate et qualitate ſucci gaſtrici et ſalivae, horum autem humorum juſtam ſecretionem ex totius corporis, ventriculique potiſſimum tono pendere: Si haec res ita ſe habeat, nonne aequum eſt colligere cibi deſiderium potiſſimum e tono et ſucco gaſtrico in ventriculum agente oriri? Ideo igitur omnia

pravae

pravae concoctionis ſigna oriuntur, quia ſuccus gaſtricus ſolito more non ſecernitur, et tonus ventriculi, qui in conſenſum cum ovariis trahitur, deeſt: Hinc anorexiae, nauſeae, vomitus, ructus, &c. ratio quodammodo redditur.

Gaſtrodyniae explicatio ex ventriculi acore petenda eſt; acidum enim ventriculi tunicas vellicat, et ſenſum moleſtum excitat.

Rei non eſculentae deſiderium e naturae inſtinctu, raro fallaci, pendet. Antacida enim ad acorem corrigendum caeco quaſi impetu deſiderantur, et conſumuntur.

Faciei pallor ſanguinis motui, ob generalem debilitatem, languido debetur; et color flavus ac viridis eidem circuitus ſanguinis languori ingraveſcenti tribuendus eſt: Ea eſt enim debilitas vaſorum, ut nullae ſanguinis particulae rubrae ad ſuperficiem corporis pellantur; et tenuis ſanguinis pars cutem inter et cuticulam effuſa, ibi ſtagnando hos colores tandem induat.

Ad eandem cauſam pertinent pedum frigus, et venarum exinanitio: Cum enim corporis calor ſemper ſanguinis motui reſpondeat, ubicunque hic deficit, deficiat ſimul ſanguinis motus oportet.

Eodem pertinet pedum oedema, palpitatio, caeteraque ſigna in morbi hiſtoria memorata, quae adeo clara ſunt, ut explicatione non indigeant.

PROGNOSIS.

Cum morbi naturam et cauſas perpendamus, exitum praedicere difficilimum eſſe fateamur oportet: Si morbus debilitate ſola pendet, neque prava partium fabricatio adeſt, eventum felicem, ex uſu medicamentorum, quae totum corpus, et potiſſimum uterum, roborant, ac ſtimulant, ſperare licet. Si autem vitio locali, aut fabrica, peccetur, prognoſis erit anceps. Fatemur autem hanc praeſagii partem admodum eſſe fallacem,

quod

quod labes congenita et vitia ipſarum partium difficillime cognoſcuntur: Rem ita ſe habere quodammodo conjicere poſſumus, ſi aegrae corporis incrementum tardius procedat, vel ſi parentis menſes aegro et difficile primo fluxere.

RATIO MEDENDI.

Quae de hujus morbi cauſis et natura ſupra recenſuimus, perpenſis, medendi conſilia, quae ſequuntur, jure ſtatuenda nobis videntur.

I. Cauſae remotae tollendae ſunt.

II. Tonus corporis, et potiſſimum uteri, reſtituendus eſt.

III. Quaedam ſigna moleſta levanda ſunt.

Primum conſilium diverſis modis pro cauſarum diverſitate abſolvendum eſt: Hinc ſi veneris deſiderium debilitatem intulit, nuptiae ſolo remedio erunt. Ad hunc pariter finem conferet, victum lautum, et quietum

vitae

vitae genus, quippe quae libidinem accendunt, vitare: Tranſitus autem a victu lautiore ad tenuiorem caute fieri debet: omnes enim ſubitae mutationes periculoſae ſunt.

Cavendum eſt etiam a cauſis quae humore et calore corpus laxant; quales ſunt potiones calidae et imbecillae, thea, coffea, et diaeta ejus generis prava, et concoctu difficilis, quae vires recta convellunt: Nec minori cura fugienda ſunt potiones meraces, vinoſae, et ſpirituoſae, opium pariter, et nicotiana, omniaque quae corpus ſupra modum ſtimulando debilitant.

Cum animi ſtatus corpus vehementer afficiat, ille excitandus eſt quantum fieri poteſt: Affectum animi deprimentium cauſae, quantum res ſinant auferendae ſunt.

Eadem eſt ratio ceterarum cauſarum excitantium: quippe quae variis modis pro ipſarum varietate tollendae ſint: Cum autem ſint fere innumerae, de iis ſigillatim dicere longum foret: Moduſque, quo vitandae vel

tollendae

tollendae ſunt, adeo manifeſtus eſt, ut neminem medicum latere queat.

Secundum conſilium abſolvitur remediis tonicis ac ſtimulantibus, quales ſunt exercitatio, balneum frigidum, aër frigidiuſculus, diaeta nutriens, cortex Peruvianus, ferrum, et remedia emenagoga; de quibus ſigillatim paucula dicenda ſunt.

Exercitatio modica tum corporis, tum animi, omnium forſan tonicorum praeſtantiſſimum eſt: Ex hac plurium hominum ſalus multum pendet, et pariter adverſa valetudo eorum qui eandem neglectui habent: Hinc oriuntur morbi debilium, maximeque mulierum, quae raro ſatis exercentur: Hinc dypſepſia, chloroſis, &c.

Viribus accommodari debet exercitatio, ne corpus ſupra aut infra ſanitatis modum ſtimulando, debilitatem rectam aut indirectam inducat.

Si debilitas ab initio minor fuerit, ambulatio votis reſpondebit: Si autem major ſit, morbuſque

morbuſque provectus, geſtatio, et potiſſimum equitatio ambulationi anteferenda eſt: Corporis enim exercitatione, ſanguinis curſus, muſculis venas comprimentibus, mirum in modum percitatur.

Balneum frigidum corpus inſigniter roborat: hoc remedium ſedans per vim corpori inſitam agere videtur; lege enim quadam corporis cautum eſt, ut quotieſcunque poteſtates nocentes ipſi admoveantur, vires inſitae praeter ſolitum intendantur: Hujus rei calor, et totius corporis vigor balneum conſequentes, teſtes et ſigna ſunt: Si autem haec corporis vis juſto minor ſit, hi effectus ſalutares non exoriuntur; provecto igitur morbo parum tutum erit balneum frigidum.

Aer frigidulus, eodem fere modo, ac lavatio frigida, agere videtur: Cum autem corpus multo minus quam balneum frigidum ſedat, tutior eſt, liberiuſque adhiberi poterit; ſed ſemper cum corporis exercitatione conjungi debet.

Diaeta

Diaeta adeo ad ſanitatem neceſſaria eſt, ut ſi quantitate vel qualitate peccet, haec labefactetur oporteat: Cum victus plenus plenitudinem gignendo, et tenuis vaſa non ſatis implendo debilitatem diverſis modis inducant, neuter ſanitati convenit: diaeta autem plenior aut tenuior, non ſolum pro ejus copia aut inopia, ſed prout plus minuſve alat habenda eſt. Plus alunt carnes, quam fruges: Diaeta igitur fere omni ex plantarum genere, quippe quae corpus infirmet, omniaque ſigna adaugeat, abſtinendum eſt. Farracea quidem idonea quantitate, cibo animali concoctu facili conjuncta, adhiberi poterunt: Cibus quidem animalis pro viribus ventriculi concoquentibus cum meri cyatho optimos edit effectus. Omnis diaeta viſcida, quippe quae aegrius concoquitur, vitanda eſt: Hinc caro animalium aetate provectiorum quam minorum, quippe quam leviorem et concoctu faciliorem experimenta demonſtrant, anteponenda eſt.

Tonicorum

Tonicorum medicamentorum praecipua ſunt cortex Peruvianus ac ferrum. Ille ſaepe multum prodeſt: Si ventriculus aegrotantis non reſpuat, datus forma pulveris plurimum pollet: Uſus autem ejus, ne nimia ſua actione tonum tandem imminuat, ſubinde intermittendus eſt: Et alia interea tonica ſufficienda, qualia ſunt amara, ut gentiana, ſummitates centauri minoris, cortex aurantiorum, &c.

Ferrum, quippe quod corpus inſigniter roborat, ſaepe in hoc morbo profuit: Variis formis praeſcribi ſolet; quales ſunt *limatura*, *rubigo*, *tinctura* martis cum ſpiritu ſalis, *ſal martis*, &c. Limaturae quibuſdam medicis anteponendae videntur; hae autem, quippe quae inter ſolvendum in ventriculo aërem qui inflammari poteſt (gas hydrogenium) praebeant, vix praeſcribendae videntur: Aër enim qui e vinculis ſuis expeditur, ſaepe ingratos ructus, et tubi alimentarii turbas, excitat. Tinctura ſaepe prodeſt, et quibuſdam prae caeteris e ferro paratis arridet.

Aquae

Aquae per ferri venas fluentes, non ſolum metalli virtute, ſed etiam exercitatione inter his aquis utendum, praeclaros nonnunquam effectus edunt: Rubigo autem, modo ventriculo arrideat, nulli ex ferri paratis poſthabenda eſt: doſibus enim ſatis magnis praecipi poteſt; neque uſus ejus incommodis ſupra dictis ſtipatur.

Interea uteri tonus variis remediis ſtimulantibus, quae vulgo *emenagoga* vocantur, reſtituendus eſt. Horum medicamentorum catalogus admodum longus, quae ſequuntur, nunc dierum maxime decantatur; qualia ſunt, *rubia tinctorum*, *cantharides*, *hydrargyrum*, *melampodium*, *arteriarum iliacarum compreſſio*, *aura electrica*, *venus*, &c. de quibus paucula ſigillatim differendum eſt: Et primo,

De *rubia tinctorum*. Hujuſce ſeculi gloria eſt, ut plurima medicamenta inventa fuerint; nonnunquam vero verba dandi ſtudio, ſaepius autem experientia fallaci, et vana obſervatio-

nis gloriola factum est, ut medicamenta, quae pro meris tricis oculatiores medici habent, summis laudibus efferantur: Nonnunquam quidem fors tulit, ut menses, inter hoc inclyto remedio utendum, proruperint: Hic autem eventus annon potius naturae, aliisve stimulantibus tribuendus sit, id jure quaeritur. Qui plura de hoc remedio desiderat, clarissimi Professoris Home facta et experimenta clinica inspiciat, ubi experimenta pro more suo exponit.

Cantharides in vias urinarias effectus violentos edunt; plurimaque de illorum in organa genitalia viribus memoriae prodita sunt: Adeo autem violenter agunt, ut cautum eorum usum ratio suadeat. Quumque stimulantia mitiora in promptu sunt, a tali stimulo periculoso, nisi in exemplis ubi caetera remedia incassum tentata sunt, abstinendum putamus.

Melampodium plus quam cuiquam credibili est, in uterum pollere olim clarissimo Mead

persuasum

perſuaſum fuit, vireſque ejus tales eſſe contendit, ut ſi menſes per vias naturales non eruperint, ſanguis per alias corporis partes viam foros ſibi patefaceret: tantum autem abeſt ut hic effectus medicamenti viribus, ut potius morbo ingraveſcenti tribuendus ſit. Non negaverim quidem melampodium ſaepe in hoc morbo profuiſſe, tantas autem meruiſſe laudes abſurdum affirmare nobis videtur.

Arteriarum iliacarum compreſſio a Doctore Hamilton propoſita fuit: hujuſmodi autem remedia, ſi ita vocari poſſint, negligenda videntur; cum efficaciora, et commodiora remedia in promptu ſint.

Hydrargyrum multis laudibus in hoc morbo a medicis decantatur. De hujus medicamenti adminiſtratione obſervandum eſt; ſi per aliquod tempus ſolum exhibeatur, antequam medicamenta, quae in hoc vel illud organum vim habent ſpecialem, praeſcribantur, plurimum in variis morbis pollere: *e.g.* ſi ſub hydrargyri uſu, laxantia propinentur,

vehemen-

vehemens oritur alvi fluxus; pari ratione, ſudorifica, diuretica, &c. poſt idoneum hydrargyri uſum popinata, diverſos ſuos effectus certius et facilius edunt. Idcirco hydrargyri uſum aliquandiu ante alia *emenagoga* hortaremur: Sic unumquodque organum ſtimulo alio ſuſcipiendo aptius reddetur: Interea cavendum, ne alia quoque ſtimulentur organa, *v. g.* glandulae ſalivales, canalis alimentarius, &c.: Hinc enim vis ſtimuli utero admoti multo minor evaderet. Hydrargyro hoc modo per juſtum tempus exhibito, menſes aliquando prorumpunt; certius autem ſi aura electrica, poſt corpus metallo affectum adhibeatur.

Aura enim *electrica* omnibus emenagogis praeſtare videtur: Non ſolum enim eſt efficax, ſed etiam omnium tutiſſimum remedium: Optime adhibetur eliciendo ſcintillas ex uteri lumborumque regione. Aliquando tamen haec omnia fruſtra tentantur; in his exemplis ad matrimonium, tànquam ultimum ſanitatis

nitatis refugium, hortanda eſt virgo: Veneris enim exercitium totum corpus et potiſſimum uterum mirum in modum ſtimulat, et miram animi hilaritatem inducit; hinc tanta de felicibus ejus effectibus teſtimonia reperiantur. Sed forſitan juveni nihil amplius de tali remedio dicendum eſt.

Tertium conſilium perficitur occurrendo quibuſdam ſignis moleſtis, quae duobus praedictis abſolvendis obſtant; qualia ſunt cruditas, inflatio, et alvus adſtricta.

Cruditas levatur emeticis mitioribus, qualia ſunt infuſum chamomaeli, ipecacuanha, &c. Si ventricui acor adſit, magneſia forſan anteponenda; quippe quae non ſolum ventriculi acorem corrigit, ſed etiam ſalem format medium qui alvum leniter ſolvit.

Inflationi occurritur remediis carminativis quae vocantur, quorum princeps eſt aether vitriolicus, &c.

HAC disputatiuncula ad finem jam perducta, superest ut grates quam maximas persolvam ROBERTO PILLANS, A. M. egregio olim Carolopoli gymnasiarchae, vitae integritate, amicitia integerrima, summaque in genus humanum benevolentia, insigni, ob plurima beneficia nunquam oblivisscenda, in me, dum apud illum Edinburgi diversabar, collata. Ingratus mihi viderer, si hanc occasionem non arriperem agnoscendi quanti facio clarissimos viros, THOMAM MARSHAL et GULIELMUM PARKER, M. B. condiscipulos meos charissimos, omnibus, quibus noti sunt, ob ingenuos mores plurimasque virtutes, quae genus humanum ornant, plurimi aestimatos.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1791
H1